



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Ad quam tamquam asyllum omnis generis homines confluxerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

æstro perciti quinque vel sex scholares, eodem accensid desiderio, collectis sarcinis, dies noctesque continuato itinere Genevam profecti sunt, desiderio tam sancti videndi, atque audiendi hominis, pedibus alas addente. Equidem ex illis quæ ille mihi dixit, magnum illum heroem Godefridum Bullionium non tantam ex murorum Hierosolymitanorum, quantam hos ex Genevensis civitatis aspectu cepisse voluptatem credo. Quam ingressi quum audissent illa ipsa hora concionem, quam Exhortationem vocabant, haberi, curriculo ad templum properarunt, ut Calvinum è cathedra verba facientem viderent atque audirent: cujus invenustos gestus, habitum atque sermonem admirari facile intellexerunt, multa vero majora prædicari, & absentes admirari ea, quæ præsentibus contemnerent. E templo egredientem adeunt illi, salutant, & rem omnem exponunt: ac beatus sibi videbatur, qui propius eum contigisset. Tum Calvinus ad eos, Hæc, inquit, Dei sunt miracula, ô fratres, ad vineæ suæ culturam vos vocantis. Ex hoc ut & aliis fide dignissimis viris didici, in Calvino nullas singulares fuisse vel ingenii vel eloquentiæ dotes, nisi quod quotiescunque in Catholicos debaccharetur seipso disertior videbatur. Animi certe virulentiam ipsius scripta fati testantur.

VI. Is quem mihi hæc & alii narraffe dixi, postquam tres aut quatuor circiter menses Genevæ esse commoratus, ac vix primis labiis Theologiam degustasset, à Calvino Minister fuit designatus. Et si verò felici admodum ingenio, & in bonis litteris mediocriter esset versatus; oneris tamen gravitatem diligenter perpendens, sese excusavit, Calvino nihilominus uti munus susciperet, urgente, & Apostolorum allegante exemplum, quos Deus idè elegerit, ut Mundi sapientiam confunderet. Post eum Beza quoque juvenenem urgere cœpit allato Titi & Amos Prophetæ exemplo, quorum uterque quum juniores essent, docendi tamen in Ecclesia munus suscepissent. Difficilem Scripturæ intellectum causantem, idem Vergilianos hos versus, tamquam formalem, credo, Scripturæ textum, reposuit:

*Carpe manu namque ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant.*

Sic illi victo Calvinus manus societatis præbuit, ac collata Ministri potestate in Lotharingiam ad novam condendam ecclesiam misit: qui tamen non multo post magno ecclesiæ Domini scandalo fuit, hospitis sui viri nobilis filiam ad parum honestam

consuetudinem pelliciens, vel potius, ut ipse agebat ab illa pelle etus. Antequam verò Genevæ discederet. Calvinij iussu nomen mutarat, Villerochum se appellans: quod postea unà cum Calvinismo deposuit, in Catholica religione mortuus. Ab hoc ego multa quæ ad infelix hoc schisma pertinent, secreta accepi. Erat enim homo multæ experientiæ ut cujus opera Calvinistæ tum quum novum Hugonotarum existeret nomen, in multis ac magnis rebus usi fuerant.

QUOMODO GENEVA CIVILIBVS Gallorum bellis creverit.

CAPUT VIGESIMUM.

ARGUMENTUM.

- I. Genevæ prima & præcipua hæreseos sedes, vel sentina.
- II. Ad quam tamquam asyllum omnis generis homines confuxerunt.
- III. Genevæ per intestina Gallorum bella crevit.
- IV. Eadem Gallia viribus ad sui defensionem usa.
- V. Gallia post Turcas in auxilium vocatos multum pristini splendoris & virium amisit.
- VI. Plerique Principes magis de statu suo conservando quam Dei propugnando honore sunt solliciti.

I. Genevensis civitatis, quæ prima parvæ suæ magnitudinis fundamenta ex variarum nationum posuit colluvie, exemplo patuit, nihil infirmum esse quod necessitatis vinculis colligetur. Ecce enim, ipso Sabaudia Duce ægre ferente, indignante Episcopo frementibus Catholicis, qui tum magno erant numero, in parva hac civitate præcipua Calvinistæ hæreseos sedes constituta, atque inde longè lateque propagata fuit; nec Catholica ibi Ecclesia unquam potuit restaurari. Tanto studio sectarii in hac parva sua Roma conservanda elaborabant; sic inter se connexi ac constrikti, ut nemo eos posset disjungere, ut qui plerique omnes eadem tempestate essent jactati, & adhuc in eadem navi versarentur. Hoc asyllum erat omnium qui è Gallia, Anglia & Belgio vel ob Lutheranismum proscripti erant aut profugerant, vel ob flagitia ac suppliciorum metum sese subdixerant.

II. Falsi monetarii, falsi testes, falsi notarii, & id genus hominum, perpluribus flagitiis, sub hujus à Farello cœptæ Reformationis tectum se recipiebant. Hic impunitas colligabat flagitiosos, hic libertas servos ad pileum vocabat. Hoc fugitivis erat asyllum

asylum proditorum, incestorum receptaculum, absolutio damnatorum. Hic impudicia castitatem, virginitatem matrimonium subjugum miserat: hic superbia humilitati insultabat, simplicitati fraus, novitas antiquitati, hæresis denique religioni, hic in unam, cloacam avaritia, rapina, perfidia perjurium confluerant. De quorundam qui eò venerant aut venturi dicebantur flagitiis conquerentibus, ac ne scelerati homines reciperentur monentibus, Calvinus respondit: Sinite eos venire, nos meliores eos reddemus. Nulli finum suum claudit Ecclesia. Multi quidem simplices ac boni ceteroqui homines, ad quos alliciendo blanditiis, ad capiendos variis fraudibus utebantur, creditorum metu, ad præclaram hanc Rempublicam confugiebant; verum tamen magna peregrinorum pars vel è Iustitiæ manibus evaserant, vel fidem abnegarant. Hic omnes in ædificanda illa nova ecclesia operas suas & opes conferebant, illi præcipue qui foro cessarant, ut hoc modo bonorum suorum semissem creditoribus præreptum, sibi servarent. Ac quamvis, ut variarum nationum homines, linguis, moribus, consiliis, ac religionibus inter se dissiderent: omnes tamen in nova hac condenda Babylone unanimiter conspirabant.

III. Sic nova facta Respublica Genevensis civitas, in nostris dissensionibus concordiam tutata est, & nostris miseris crevit; ut cui nunquam etiam eorum defuerunt auxilia, qui nisi suæ ipsi quieti invidissent, merito in eius exitum conjurare debebant; usitata jam Principibus arte, qui omnia ad suum trahentes commodum, ac temporibus insidiantes, majorem conservandi sui, vel ex vicinorum damnis augendi imperii, quam divinæ amplificandæ gloriæ habent rationem. Vnde factum est ut uno contra jam dictâ civitatem aliquid moliente, statim alter patrocinium eius suscepit. Gallia regibus Sabaudia Ducis conatus semper impediendos, ne ex Helvetia militum in Galliam comeatus intercluderetur; ac simul ut is qui hostis aliquando esse posset, propiorem hostem oppositum semper haberet; nec tutum modo regnum ab invasione præstaretur, sed etiam ad vicinos ubi nondum plane spes omnis decollavit, aditus pateret. Magnū quidem Francisci I. erga Catholicam religionem fuit studium, magnus zelus: nihilominus tamen quum Sabaudia Dux Genevenses rebelles suos domare, & civitatem, quæ non religionem modo, sed & statum reipublicæ mutasset, ad obedientiam reducere statuisset; rex eius conatibus obstitit, misso Ren-

tio Cenio magni nominis duce; qui validis copiis eò profectus, Ducem re infecta obsidionem solvere cœgit.

IV. Post hæc Geneva, quam rectè Gallia incēditū dixeris, Gallia viribus subnixa, omnes hostiū minas contēpsit, & conatus elusit. Vnde novi illi cives inflati, Legatos miserunt de federe cū nostris, regibus, ut cum quibusdā Helvetiorū pagis jã fecerant, ineundo. quos Annas Momorantius Gallia Conestabilis, cujus consilio & prudentia Henrico II. rege, præcipue res administrabatur, nequaquam id è regum dignitate fore ratus, acerrimè increpitos facillere jussit, sic eos alloquutus: Abite quanto cyus, dicite egregiis illis dominis vestris Genevensibus, uti veniant interula tantum induti, cum laqueo è collo pendente, & ad regis pedes prostrati, suppliciter veniam implorent. Nimis certè viles illi sunt, quam ut cum tanto rege federe & amicitia jungantur. Hæc tum Conestabilis, Catholica religionis zelo impulsus. Sed res postea valde mutarūt: quum sæculo nostro plusquam ferreo Christiani, & Catholici quidem non hæreticorum modo, sed & infidelium amicitiam experierint, & opera sint usi. Quare mirū non est, nos contēni, ut quos ad portas Principis sui auxilia medicantes viderint. Gallia fanè accepto ad Niceam incomparabili detrimento, magno cum suo malo tum didicit, quā periculosum ac damnosum sit, eiusmodi sociis & amicis uti.

V. Monlucius Gallia Marescallus & alii in Commentariis suis non verè minus quā prudenter notarunt, quod ex illo tempore res Gallorum cœperit

In peius ruere, & retro sublapsa referri.

quum paullò antea nō respirare modo, sed & planè convalescere cœpissent. Quod quidem Venetiarum Dux Henrico III. regi è Polonia revertenti, non tam exprobat, quam ut ne ipse tale quid faceret, fidele consilium dedit, in hunc modū loquutus. Vnde tu putas, o Rex, tot tantaque mala tam in regnum quam in prædecessores tuos profuxisse, quam ex hoc amicitia & federis cum infidelibus contracti fonte? Non tu putas, tot Christianorum millia, à pirata Babarossa in auxilium ab avo tuo vocata, & religione ejurata, Mahumetismo nomen dare coacta, jã in inferno contra miseriam suam auctores, Dei vindictam implorare? Infidelium quidem opera se imperiumq; tueri licet; sed cum infidelibus fedus offensivū ac defensivum percutere, id nihil aliud est quam Deo bellum indicere, qui suo tempore de temerariis illis hominibus ultionem sumere novit, tanto graviolem quanto magis seram.

Hæc